



~~177.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-19.

SIGNAT. ci515CCCXIII.

theol. Vol. 40

einzelne verzeichnet 30/3. 1915.

I. N. J.
ΑΠΟΔΕΙΞΙΣ,
Quod Deus universos homines
seriò velit salvos fieri:

Formata,

Ex

II. Petr. III. v. 9.

Et Sancto Dei Spiritu adjuvante,

Et

PRÆSIDE

V I R O

REVERENDO ADM. AMPLISS. ET EXCELLENTISS.

Dn. ABRAHAMO CALOVIO,
S.S. Theol. D. ejusdemq; Profess. Publ. & Celeberrimo,
Consistorii Ecclesiastici Assessore gravissimo,
Electoralium Alumnorum Ephoro vi-
gilantissimo,

ad disputandum publice proposita

à
M. GEORGIO BELOVIO, Calegiensi, de-
signato & vocato Pastore in Hohendorf/
& Löbnitz.

ad D. XXVII. NOV.

WITTENBERGÆ

Typis Johannis Röhneri Acad. Typogr.
ANNO M DC LI.



ADOLESCENTIA
Quod sit in universitatibus
tandem vel in scholis
Lectura

Dr. A. H. M. O. C. A. L. O. V. I. O.
22. 10. 1788
Schultheiß
Schultheiß
Schultheiß

1788
1788





I. N. J.

Præloquium.

Uæcunq; de Deo sciuntur ab homine è verbo Dei, ea eximia sunt, divina sunt, atque cœlestia. Ut pars excellentiæ, qualis ac quanta in mortales quidem cadit, haud postrema sit, nosse, quæ à Deo opifice fluxere & plurima opera, & sapientissime efformata: tamen ultra mortalem hanc vitam haud promittit ea vim suam. Quocirca ea scientia illustrem quidem hominis mentem, dum vivit in hoc ævo, facit, in altero beatum haud facit; Sola de Deo scientia tam ampla est, ut ex hoc ævo ad ipsam usq; beatam æternitatem pertineat. Cæterum inter ea, quæ de Deo noscuntur, nil divinius est, nihil cœlestius, quam quod Deum ex se paratum promptumq; esse ad perducendos ad cœlestem salutem universos homines, lacris literis

A 2

claris-

clarissime proditum est. Nempe cum cæ-
tera omnia, quæ mortales consequimur,
caduca sint, atq; nobiscum, quando occi-
dimus, qui nati fueramus, intercidant, so-
la ea scientia de clementissima voluntate
erga nos Dei tam efficax est, atq; tam nescia
pereundi nobiscum, ut & duret perpetuo,
& nos in cœlestem asserat vitam. Quo a-
cerbius igitur vehementiusq; dolendum
est nobis, quotquot Christianismum sin-
cerius profiteamur, quod, cū tot sacris per-
spicuisq; oraculis, tam vivacis plena solatii-
res, voluntasq; erga nos Dei, proposita sit,
nihil ut testatius sacris in literis sit, tamen
reperiantur in hominum genere, qui am-
plissimum illud, & universos ad homines
pertinens, Dei beneficium restringere ad
multo pauciores partem eorum impie
aufint! Quorum mentibus, sicut nihil est
occœcatus: ita argumentum hinc capias
licet, parum profectum iri, quidquid etiã,
arguendo clarissimis dictis, dissipare vi lu-
cis cœlestis, ex verbo accensæ, spississimas
erroris:

erroris tenebras, noxiamq; animabus, & atram
caliginem, studeas. Nempe occludent men-
tis oculos, ne illucescat cœlestis veritas, torque-
buntq;, quantum poterunt, pravos in sensus a-
perta & plana S. Spiritu auctore prodita verba.
Ne scilicet non ament perpetuò fœdam caligi-
nem suam, tenebrasq; adversus divinam lu-
cem, quantum est in ipsis, defendant. Cæte-
rum etsi indignos se, quorum cordibus illaba-
tur salutaris hæc lux, jamdiu ostenderit, qui
Calvinum in religione sequuntur, Doctores:
tamen sicut hæctenus haud desitum est fieri: ita
haud desinemus urgere sacra oracula, quibus
bonitatis, favorisq; cœlestis plenissima Dei vo-
luntas, universos homines in peccatum lapsos
ad salutem æternam instaurandi, & quæ cum
ea copulata indivisè atq; arctissime est, perfe-
cta omnium ac singulorum hominum red-
emptio, atq; ex hac manantia cœtera benefi-
cia, proponuntur; Ut, si indormiscant pestilen-
ti errori seductores simplicium, vel saltem hos,
eosq;, si non universos, at partem bonam, vel
certè quosdam, licet paucissimos, lucrifacia-
mus ereptos. Eo consilio decretum est nobis,
clarissimum locum, II. Petr. c. III. v. 9. in manus
sumere, atq; ex eo, ultra ipsam literam, solis ra-
diis,

A 3

diis,

diis, cum sudum est, clarius scriptam, argumen-
ta ad Catholicam nostram sententiam perspi-
cuè demonstrandam instruere. Deum autem
salutis auctorem veneror, conatus hos sacros,
susceptamq; semel in nomine Jesu hanc ope-
ram uti provehat feliciter; in eius quippe soli-
us laudem ac gloriam, non sine vivaci nostro
solatio & gratiarum actionibus, desituram,
Amen.

Textus

Ex II. Pet. c. III. v. 9.

Μακροθυμεῖ εἰς ἡμᾶς, (ὁ Κύριος) μὴ βεβλόμενός ἵνασ ἀπ-
πέσῃ, ἀλλὰ πάντας εἰς μετάνοιαν χωρῆσαι.

Vers. Syriaca,

אלה מגר רוחה מטלתכון דלא צבא דחר נאבר
אלה דכלהון בנינשא נאתין להובתהא :

Arabica.

לכנה ימהלכם לאנה לא יהוי אן יהלך אחר
בל יוסע אלהובת עלי כל אנסאן :

Latina vulgata.

*Patiens est erga nos (Dominus) dum non vult ullos pe-
nire, sed omnes ad pœnitentiam recipere.*

SECTIO PRIMA.

Exhibens Textus Resolutionem.

*Th. I. Consideranda hic venit I. Per-
sona, cui voluntas salvandi tribuitur.*

S. I. Ea hic appellatur ὁ Κύριος Dominus ille; Eo autē nomine
ipse Deus denotatur sacris in literis, Quippe eius solius est
inde-

independens, & nullo circumscripta tempore locoq; ac di-
vina adeo dominatio. Nempe *vo. es analogas per se positas*
ea notatione, que significantior est & principalior, accipiendas
esse, bonæ interpretationis regula est. Igitur sicut hæc vox
κύριος πρώτως notat summum incircumscriptumq; domi-
nium: Ita hæc dominum notat divino gaudentem dominio.
Et hanc ob vim suam hoc nominis permutatur cum essen-
tiali Dei nomine *יהוה* quod, ut alia per multa loca omitta-
mus citare, in primis patet ex collatione *Esa. C. I. v. 9.* cum
Cap. IX. Rom. v. 29. ubi qui isto loco dictus est *יהוה צבאות*,
hoc *κύριος Σαβαωθ* appellatur. Ita ergo hic Dominus est
persona divina, cui tribuitur hæc servandi homines, & re-
vocandi eos ab interitu ad salutem, voluntas. Cæterum etsi
ea communis sit singulis personis divinis, ob æqualem na-
turæ divinæ participationem, ut per Dominum non minus
Pater & Spiritus Sanctus possint intelligi, quam filius, sum-
pta ea voce essentialiter: tamen hujus circumstantiæ loci,
quem tractandum suscepimus, determinant vocem, refe-
runtq; perspicuè ad secundam personam S. S. Trinitatis.
Nam ille Dominus intelligendus est, cui appropriatur Sa-
cris in literis *adventus ad judicium.* Agit quippe S. Petrus de
adventu Domini ad judicium. Cujus metum cum expunctum
deletumq; ex cordibus cæterorum quoq; cuperent irrisores
veræ pietatis cultusq; divini, nullum Domini adventum,
nullum judicium expectandum impiè ac vanè jaçtabant.
v. 4. Hos adversus igitur asserit S. Petrus, Dominum ventu-
rum & judicaturum. Jam verò istum adventum, ipsumq; adeo
judicium exercendum ad filium Dei, secundam personam,
referunt Sacræ literæ per *ὀκείωσι.* Cujus fundamentum est
futura visibilis, eaq; illustris admodum apparitio
secundæ personæ quoad humanam naturam, juxta quam
illi *data est potestas judicandi, Joh. c. V. v. 27.* qua de re sicut
plurima in promptu sunt loca: Ita suffecerit unum itemq;
alteram citasse, *Act. I. v. 11. I. Thess. c. IV. v. 16. II. Thess. c. I. v. 7.*
8. 10. Matth. C. XXV. v. 31 seqq. Unde huic Domino tribuitur
ἐπαγγελία τῆς παρουσίας, id est, promissio sui adventus visibi-
lisq;

illis, presentia v. 4. qualis alibi Christo constanter tribuitur,
Vid. Matt. XXIV. v. 37. & 39. I. Cor. XV. v. 23. I. Thes. III. v. 13. c.
IV. v. 15. quæ II. Thes. appellatur ἐπιφανεία τῆς παρουσίας αὐτοῦ,
id est, illustris in oculos, incurrens adventus, sive presentia.
Atq; ut ne places simus in retam clarâ, V. Petrus hoc ipso
Cap. III. v. 2. Dominum hunc appellat nostrum Σωτῆρα, id
est, Jesum, optimum servatorem, cujus se collegasq; suos
esse Apostolos ait. Deinde v. qui sequitur, tertio adventus
ad judicium ad eundem refertur Dominum ex verbis pro-
fanorum, *Ubi est, inquit, eius adventus?*

§. 2. Cæterum sicut Dominus Jesus consideratur hic,
ut homo in unitate personæ, quoad visibilem illustremq;
Humanæ Naturæ futuram presentiam: Ita idem conside-
ratur, ut Deus quoq;, cum quoad gloriosam æternitatem,
momentorum temporis ac omnis vicissitudinis nesciam
prorsus, v. 8. qualis ex Psalmo XC. v. 5. describitur: Tum
quoad divinam misericordiam, cujus argumentum præ-
bet *μακροθυμία*, qua Deus utitur erga impios quoq; ho-
mines.

*Th. II. Quod Iesus Christus hic Do-
minus appellatur, ejus ratio non est in solo
jure ponenda creationis: sed arcessenda
quoq; venit ex jure Redemptionis.*

§. 6. Dominum esse pertinet ad classem Relationis.
Igitur fons atq; origo illius quando monstratur, momen-
tum haud plane nullum id est ad cognoscendam perfectio-
nem Domini. Igitur ratio ac causa hujus appellationis est
quidem creatio, vi cuius creatura rationalis conditori suo
subjicitur; obligatione quippe contracta, vitam, omniaq;
quæ accepta ab opifice sunt, referendi ad cultum ejus ar-
bitriumq; ac voluntatem, juxta illud *Apo. c. IV. v. ult.* Sed
ita vis hujus relationis satis expressa haudquaquam est.
Itaq; alterum addimus beneficium, redemptionis videli-
cet.

cet. Inde enim nova oritur obligatio serviendi Deo ob liberationem ex morte æterna omnibus subeunda, nisi liberatrix Dei clementissimæq; voluntas tantæ miseriæ intercessisset.

§. 2. Cæterum ea redemptio, tametsi sit commune Dei Trinumius erga nos miseros beneficiū juxta illud πολυθρύλλητον Veterum, quod opera ad extra sint *indivisa*; quippe quæ communi gloriolæ Trinitatis consilio decretoq; atq; potentia fiunt: tamen speciali ratione Filio Dei ideò tribuitur, quod ille *persolverit pretium Redemptionis* pro hominibus sanguinis sui profusione. Unde hoc opus ratione termini soli competit filio Dei. Atq; hæc ratio à D. Petro apertissimis verbis traditur hac eadem *Epist. Cap. II v. 1.* quo loco Jesus Christus dicitur *ὁ δεσπότης, ὁ ἀγοράσας τὰς ψευδοδιδασκαλίας*, id est *Dominus ille qui emit falsos Doctores*. Id enim significat *ἀγοράζειν*. Unde ne quis propriam vim à voce in hoc argumento conaretur auferre, additam alibi mentionem pretii videas, *I. Cor. VI v. 20 ἡγορασθητε γὰρ τιμῆς, & CVII v. 23* Pretium autē determinatum cernas *Apos. V. v. 9 ἡγόρασας τῷ θεῷ ἡμᾶς ἐν τῷ αἵματι οὐ*. Cæterum sicut Jesus Christus est proprie *Dominus*: Ita homines proprie ejus sunt *servi*, & servitutis fundamentum est *ejus pretio emptum esse*. Unde debent servi *non sibi vivere, sed illi, qui redemit eos moriendo II. Cor. V v. 15.*

III. Voluntas, quæ Domino huic tribuitur, seria est, sincerissima est.

§. 1. Cum de benefica voluntate erga nos Dei suscipitur disputatio, id quidem supra litem merito ponere Christianus quisq; debet, abesse ab ea omnem simulationem, cordisq; divini duplicitatem; Qualem verbis quoq; jam olim professi se credere fuere crudissimi Calvinianorum Doctores; De quorum sententia videndus præter plurimos *Meisnerus Ἀνθρῶπολογ. Dec. II. Diss. 26. p. m. 62.* re autem

B

ad

adhuc dum tradunt, qui mitiores videri cupiunt: Nempe divina voluntas non potest non esse sincerissima, & experta omnis simulationis. Tum vero D. Apostolus Petrus legatus Domini nostri Jesu Christi II. Cor. V. v. 19. non loquitur aliter de legantis voluntate, atq; is per S. Spiritum suum legatum instruit, juxta illud, quod hac ipsa *Epistola S. Petrus C. I. v. ult.* liquido affirmat.

§ 2. Ea autem voluntas exprimitur voce βέλεσθαι, quæ hoc loco respondet Heb. וָבַח concupivit. Syrus usurpat vocem נָצַח, *complacitum fuit*. Neq; discedit *Arabs* interpres, qui τὸ βελλόμενος reddit per ἡγήσθαι, quod pariter vehementiam significat volendi. Caterum actus voluntatis sicuti duplex est, alter *velle*, id est, prosequi rem, quam approbavit voluntas, eamve concupiscere. Alter *nolle*, id est, aversari rem, quæ displicet, atq; ingrata est. Uterq; hic actus respectu divinæ voluntatis à D. Apostolo exprimitur. Alter his verbis, μὴ βελλόμενος ἵνασ ἀπολέσθαι: *non volens i. e. nolens quosdam perire*: Alter his: ἀλλὰ πάντα χωρεῖν εἰς μετανοίας, *sed omnes concedere in pœnitentiam*. Ubi ἀπὸ κοινῆς repetendum est τὸ βελλόμενος, ut hæc sit integra propositio: *Sed vult omnes, & quæ sequuntur*. Duæ ergo omnino hîc habentur propositiones: prior negativa, *Deus non vult quosdam perire*. Posterior: *Deus autem vult Omnes in pœnitentiam concedere*. Actus autem voluntatis negans habet pro objecto τὸ ἀπολέσθαι, qua voce notari æternum exitium per damnationem utrinq; est in confesso. Atqui ea est æterna pernicies. Actus autem ejusdem affirmans refertur ad salutem æternam veluti objectum. Hîc quidem objectum voluntatis divinæ ponitur μετάνοια i. e. *resipiscencia*. Ita enim habent verba: ἀλλὰ πάντα χωρεῖν εἰς μετάνοιαν, *vult videlicet Dominus*. Ubi τὸ χωρεῖν vertit *Erasmus active, & h. m. omnes ad pœnitentiam recipere vult*. Contra *Syrus* interpres vertit rectius intransitive per vocem ΝῆΝ, *venire*, scil. homines *cupit ad pœnitentiam*. Rectissime inquam; Vox enim χωρεῖν quo-

quoties transitive sumitur, toties notat *Capere*, quomodo
 continens dicitur *Capere* rem contentam. *Vid. Job II. v. 6.*
Marc. II. v. 2 & alibi. Igitur εἰς μετάνοιαν χωρῆσαι nobis est
concedere in pœnitentiam, quemadmodum *Beza* est, sensu non
 dispari multum, ad pœnitentiam tendere. Arabs reddidit
 וסע לת בתי עלי כל הנסאן .i.e. *spatiosam vel amplam fa-*
cit, vel, dilatat pœnitentiam super omnes homines. Nempe sen-
 sus hic est, & mens *Arabis* translatoris, non recessuri vide-
 licet à not. ode τῆ χωρῆν, quam habet, cum *transitive* sumi-
 tur: *quod Deus det spatium, amplissimamq; occasionem &*
tempus resipiscendi. Cæterum eih voluntatis hic actus affir-
 mans referatur proxime ad resipiscentiam, tamen quoni-
 am eius finis proprius est salus æterna; Idcirco recte dici-
 mus, sicuti *actus negantis* objectum est æternum exitium: Ita
actus affirmantis objectum esse salutem, vel vitam æternam.
 Unde comparanti inter se *Locum Ezech. C. XIX. v. 23 & C.*
XXXIII. v. 11. & hunc nostrum *Petrinum*, patet ad oculum,
 ea egregie inter se respondere, nisi quod cit. *C. XXXIII,*
 cordis sui paterni revelatū hominibus sensū Deus iure iurā-
 do cōfirmavit, cum ait: חי אני אם — אפפך במות וגו',
Vivo ego, nolo mortem impii &c. Et juvat audire sva-
 vissima alterius quoq; loci verba: חפף אפפך במות
 וְהוֹרֵנוּ בְּשׂוֹבוֹ וְגוֹ'. Num volendo volo, vel aclectando de-
 lector morte peccatoris? annon (sc. delector, i.e. vehementer ac se-
 riō cupio,) ut convertatur? Hanc vehementiam sincerita-
 temq; volendi non unum hoc loco est argumentum, quod
 efficaciter probat. Nam i. hujus voluntatis effectus est
 δωρεν τῶν πρὸς ζωὴν καὶ εὐσεβειαν, id est, *datio & donatio omni-*
um eorum, quæ ad vitam (spiritualem videlicet) & pietatem
sunt necessaria. C. I. hujus *Ep. v. 3.* Deinde *speciatim factus à Deo*
per Christum καθαρισμὸς τῶν πάλαι ἀμαρτιῶν, hoc est, fa-
cta purgatio & emundatio à pristinis peccatis, quæ etiam illis
 contingit, qui illius purgationis obliti in tenebras pecca-
 torum recidunt, *Cap. eod. v. 9.* Tertiō ἀγορασμὸς s. *emptio*
hominum, Cap. II. v. 1, eaq; carissimè facta i. e. *sanguine Domini*

Jesu pretioso supra aurum argentumq; I. Pet. C. I. v. 19. Tum de-
 niq; *μακροθυμία* Domini. Nam cum reddendum esset A-
 postolo, quare differretur Adventus Dominicus, dicit eam
 quidem non esse sanè cunctationem, qualis est oblitæ suæ
 promissionis, quam nunquam sit impleturus: sed esse *μακροθυμίαν*
μακροθυμίαν Domini. *ἀλλὰ μακροθυμῆσθε ἐς ἡμᾶς*, habent ver-
 ba D. Apostoli. *Arabs* interpres reddit, *לכנה ימהלכם*
 i. e. *dat spatiū Vobis.* *Syro* usurpantur hæc: *רוחה מנר* i. e.
contrahit spiritum suum, (i. e. iram differt. Nam qui iram co-
 hibet, is spiritum contrahit, sicut etiam apud *Ebræos* *μακροθυμῶς*
μακροθυμῶς vocatur *ארוך אפים* i. e. *longus irarum,* qui non fa-
 cile irascitur, nec statim punit. *Exod. C. XXXIV. v. 6. Num.*
C. XIV. v. 18. Sicut è contrariò *קצר אפים* i. e. *brevis irarum,*
brevis nasci. Item *קצר רוח*, *ὀξύθυμος*, qui facile irritatur.
 Cum igitur Deus differat ultionem & vindictam sumen-
 dam ab impiis, ideo quod *nolit ullos perire, sed omnes ad*
pœnitentiam sese recipere; Idcirco voluntatem salvandæ
 impios quoq; & qui *suoapte vitio pereunt,* sincerissimam,
 esse & seriam liquidissime inde efficitur. Quanta enim
 fuerit, ac quam detestabilis impietatis, voluntatem erga
 nos Dei, quæ S. Spiritu revelatore, prodita hominibus est,
 negare seriam esse, sinceramq; ex qua etiam proficiscitur,
 quare Deus iram cumulatæ nefandisq; impiorum inflam-
 matam peccatis cohibeat, ultionemq; justissimam diffe-
 rat?

§. 3. Objectum a. *μακροθυμίας* simul exponit S. Spiritus
 amanuensis Apostolus, cum addit *ἐς ἡμᾶς.* Erga nos *Syro*
rus, eumq; secutus, ut solet, *Arabs,* interpretes habent, *erga*
Vos; ut codices in hac scriptura pronomini variasse hinc
 constet. Sed plures tamen codices primæ personæ pronomen
 exhibuere, qualem lectionem nunc ab omnibus constanter
 expressam videas. Qua quidem ratione Apostolus se fidelesq;
 in sanctimoniam studio pergentes per *ἀνανοίωσιν*
 includit coetui impœnitentium, quibus datur spatiū pœni-
 tentiæ. Ejus rei exemplum sunt *Noachici* auditores & *coata-*
nei

nei, erga quos Deus ulus fuit *μάρτυρία*, quatenus cata-
clysmum inducendum orbi terrarum distulit, poenitentiae
spatium satis longum ut esset. *Conf. Epistolam I. c. III. v. 20. cum*
Genes. c. VI. 14. Ejusmodi a. ἀνακοίνωσιν à D. Petro usurpatam
cernas Ep. I. c. IV. v. 3.

IV. *Cum consideratur latitudo subjecti,*
quod salutis aeternae particeps, intentione
Dei & voluntate, fieri debet, tanta ea est,
quanta est, cum nemo hominum excipi-
tur.

§. 1. Non sufficit S. Spiritui inspiratori, vice simpli-
ci testari de latitudine hominum, qui intentione Dei salu-
tem aeternam consequi debent: sed ut occurreret pestilen-
ti corruptelae, quae signum Universalitatis mutatura esset
in *QUOSVIS*. id est, *paucissimos, ex varietate gentium natio-*
numq; secretos atq; electos, munivit vim signi ejusdem, *O-*
MNES, praevia inficiatione, qua affecit signum particulari-
tatis, *τινές, Quidam,* hunc ad modum: Non vult *Quos-*
dam, vel Ullos, perire: sed vult *Omnes* respicere, adeo-
que salvos fieri. Unde apparet, cum sub communi ter-
mino, qui est, *Homines,* quos Deus cupit respicere, liceat
non solum subsumere de quocunq; individuo humano:
sed etiam nefas sit quenquam excipere à communi termi-
no propter praecedentem negationem: idcirco impossibile
est, nisi apertissimam vim facias Apostoli verbis, aliter su-
mi posse signum universalitatis, quam ut notet completam
termini communis in omnia sub ipso contenta individua
distributionem.

§. 2. Quare quemadmodum thesis Catholicorum in ter-
minis hic habetur: Ita directe S. Spiritus contradicit Cal-
vinianorum impiis ac pestilentibus thesibus. Thesis Ca-
tholicorum altera haec est:

B 3

Deus

Deus universos homines vult salvos fieri:

Altera autem,

Deus non vult ullum hominem perire.

Ambæ hic *ῥητῶς* habentur: Calvinianorum istæ sunt, altera quidem:

Deus non vult omnes homines salvos fieri.

Altera autem:

Deus vult multo majorem hominum partem perire:

Ambæ hæ thesibus S. Spiritus contradicunt. Collocemus eas apertius, quanquam vix possit quidquam apertius jam dum esse:

Omnes homines ex intentione Dei debent salvi fieri, S. Spiritus oraculum, & Catholica thesis est.

Non omnes homines ex intentione Dei debent salvi fieri, Spiritus, à quo Calviniani Doctores illuminantur scilicet, oraculum est, & *θεσις* Catholicis opposita.

Nec ullus hominum ex intentione Dei perire debet: Altera est, & negans S. Spiritu auctore prodita propositio.

Hanc adversus dirigitur Calviniano spiritu auctore prodita propositio:

Multo major pars hominum ex intentione Dei perire debet.

Sub qua propositione subalternata hæc continetur:

Quidam ex intentione Dei perire debent.

Atque hæc contradicit priori, juxta id, quod est apud *Aristot. l. 2. prior. Analyt. c. 15.* Ubi inter propositiones oppositas refert *τὸ μὴ τῶ δὲνί*, id est, *Quidam Nulli*, sicut hic particularis affirmans opponitur universali neganti.

SECTIO SECUNDA.

Exhibens Argumentum Catholicorum cum exceptionibus adversariorum.

Th. I.

*Thes. I. Cum thesis Catholica conceptis
verbis exstet hoc loco, qui nobis tractatur,
medium terminum aliunde haud duci-
mus, quam à veracitate Dei, Sanctiq; ejus
Spiritus, Revelatoris & inspiratoris A-
postolorum.*

§.1. Igitur argumentum formamus tale, quamvis per
rei claritatem vix nobis liceat ad argumentandi hunc mo-
dum descendere: *Quicquid Deus per Spiritum inspiratorem
Apostolorum de sua voluntate revelat, id verū est. At qui is
revelavit per eundem, se velle omnes singulosq; homines
salvos fieri. Idcirco verum est.*

§.2. Adversus Majorem fas non est adversariis quid-
quam excipere, quia *revelatio Dei est objectum primò credi-
bile, & fundamentum idcirco fidei.* Qua in re nobiscum se
sentire verbis quidem certe profitentur iidem. Minor non
solum hoc loco nostro verbis iisdem continetur; sed etiam,
ut exceptioni color omnis deesset, ita munita est, ut supra
aliquid fieri vix possit. Qua de re actum est *Sect. preced. tit.
ult.* Igitur hoc verbum Dei revelatoris de universali sal-
vandi voluntate perstat, & perstabit in æternum.

§.3. Sed quid ad hanc lucem adversarii? nunquid illu-
strati lætissimo hoc lumine gratias Deo, misericordiarum
patri, habent atq; agunt, pro tam amplissimo beneficio re-
velatæ tam promptissimæ voluntatis erga nos suæ? Minime
gentium; sed diverso longe abrepti studio caliginem quæ-
runt, tenebrasq; quibus lucem salutaris hujus revelationis
extinguant, vel obnubilent, vel certe obfuscent. Demus ope-
ram Calvino, principi scholæ suæ, ecquid ille hac luce ver-
borum faciat; ecquid effundere conetur caliginis ex regno
tene-

enebrarum? Ita ille *Comment. in h. l.* Sed hic quæri, inquit, potest, Si neminem Deus perire velit, cur tam multi pereunt? Respondeo, pergit, non de arcano Dei consilio hic fieri mentionem, quo destinati sunt reprobi in suum exitium. Sed tantum de voluntate, quæ nobis in Evangelio patet. Omnibus enim promiscue manum illic porrigit Deus, sed eos tantum apprehendit, ut ad se ducat, quos ante conditum mundum elegit. Nempe hic magister distinguit inter voluntatem arcanam & revelatam, sive, quod eodem reedit, signi & beneplaciti.

§ 4. Diversam paulo insistit sententiam Beza, cum *Annot. Maj. ad h. l.* Hunc etiam locum, inquit, nonnulli depravant, (Deus te increpet Satana, quod credere planis veracissimi Dei verbis dicis esse depravare) ut æternæ electionis & reprobationis discrimen tollant. Spectandum a. est, quos alloquatur Apostolus, Dilecti, inquit, (vel ut in duobus veteribus libris legimus) ἀδελφοί, fratres, hoc non lateat vos Et paulo post. Non tardat, inquit, Dominus, qui promisit, ut nonnulli existimant, sed patiens est erga nos. Quis ergo non videat, Apostolum diserte his verbis discernere electos ab istis irrisoribus, quorum ante facta est mentio? neq; impios dignari responso, sed electos confirmare; quibus & ipse sese adjungit, cum inquit, μάγοι οὐκ εἰς ἡμᾶς, patiens est erga nos. Perinde est igitur, ac si diceret, Nonnulli misere falluntur, quibus cessare videtur Dominus, & quasi redemptionem suorum negligere. Nam contra idcirco adventum suum differt, ut nullus ex suis electis pereat, sed omnes illos ad salutem aggreget. Tantisper igitur cunctatur, dum, qui vocati sunt electi, vocanti respondeant: & qui vocandi supersunt, vocentur, id est, tantisper, dum electorum numerus expleatur: tantum abest, ut Ecclesiam suam despiciat. Hæc est igitur simplex, & cum superioribus consentiens hujus loci explicatio, ut diserte etiam liquet ex *Matth. 24. 31. Marr 27. & apertius & Apoc. 6. 11* Ergo Beza, restringit signum Quantitatis ad numerum Electorum.

§ 5. Magis se involvit Daniel Chamier, *Panstr. Cath. t. 3. l. 7. t. 6.* cum *ad h. l.* distinguit voluntatem hanc Dei in ἐυδοκίαν, qua Deus, inquit, decernit aliquid suo tempore fieri, ad quam, pergit, refertur prædestinatio; Et ἐναγέσιαν, qua vult hoc illudve
ab ho-

ab hominibus fieri juxta sua praecepta sive ex officio. Hac distinctione supposita respondet ad h.l. & ad nostri inde ducti argumenti minorem, veram eam esse de *evangelia*, non de *ev-donia*. Dat simile: *Quemadmodum enim, pergit, vult Deus filium optare longis annos patri: nec vult tamen ipse dare: sic vult Deus omnes servari, i. e. tendere ad salutem, nec tamen vult ipse omnibus hominibus dare salutem. Illam enim legem posuit hominibus, ut juste damnentur, qua spreta ruent in suum exitium.* Caterum sensus hic est distinctionis, quæ Deus vult ex *ev-donia*, ea velle eum fieri, ac interno adeo beneplacito: quæ autem vult voluntate *evangelias*, ea non cupere eum fieri interno beneplacito; Itaque Deum velle voluntate *evangelias*, omnes homines tendere ad pœnitentiam, quatenus id quidem hominum sit officium, et si Deus interno beneplacito nunquam velit cupiveritq; eos ad pœnitentiam traducere. Atq; adeo, quod ipse fatetur paucis interjectis, *hac solutio seu distinctio re eadem est, cum eorum solutio e, qui distinguunt voluntatem signi & beneplaciti.*

§ 6. Sed vacillat tamen fluctuatq; depravator ingeniosus, qualis sibi videtur, ut qui illico § 5. ejusdem cap. subjiciat: *Nisi quis malit locum petri referri duntaxat ad fideles, ut sensus sit: Nolens ullos è nobis perire, sed omnes ad resipiscentiam venire. Quod facile est propter hæc verba: sed patiens est erga nos. Vix enim infidelibus se annumerasset Apostolus.*

§ 7. Cum hac *ερεβλη* ex Beza quoq; recens laudatâ consentit planè, quod affert *Antonius Waleus, Prof. Leydens Tom. 2. Oper. tr. advers. Corvini Censur. Anat. Armin. Petr. Molin. Cap. V. p. 135. Locus, inquit, 2 Pet 3. 9. manifesto de credentibus agit, quorum neminem vult perire, cum & propter eos dies illi decurtabuntur, ut Christus loquitur Matt. 24. & Marc. 16. (falso, sed c. 13. v. 20.) & tum demum Christus ad vindicandos pios venturus est, quando completus erit eorum numerus, qui pro nomine Christi sunt occidendi, Apoc. 6. 11. Sed de hoc loco, ita definit *Antonius, in progressu accuratius erit agendum. At si quæ sequuntur, eo in tractatu universa perlustres, nil reperias amplius de hoc loco, nedum accuratius aliquid, possis credere, hominis hanc promissionem pertinere ad voluntatem signi, non bene.**

C

bene.

beneplaciti. Quæ præter hæc ab aliis ad eludendum hunc locum allata leguntur, signum Quantitatis omnes capiendum de generibus singulorum, non singulis generum; Item Propositionem hanc: Deus vult omnes ad pœnitentiam converti, esse reduplicative sumendam, hoc sensu; Deum velle omnes respicere, quotquot videlicet respiciunt: hæc quia vel de iudicio Chæmieri cum DURA sunt, tum vero talia, ut iis nil infantius esse possit, l. cit. Idcirco ea commemorâsse fuerit refutâsse. Hæc ergo sunt, quæ adversarii obfuscandæ luci hujus sva-visimi Oraculi comminiscuntur. De quibus idcirco quid habendum sit, nostrum est non indiligenter exponere.

SECTIO III.

Exhibens vindicationem loci & argumenti inde ducti.

Th una Interpretationes hæc atq; exceptiones recens laudate, vana sunt, quedam etiam impie, & argumento nostro idcirco haud nocent.

§.1. Prima fuit *Calvini* interpretatio, sermonem hic esse de voluntate tantum *Evangelica* non de arcano *Dei* consilio, quo destinati sunt reprobi in suum exitium. Nempe duplicem facit *Calvinus* voluntatem, *Evangelicam* alteram, qua *Deus* scilicet promiscue omnibus manum porrigat; alteram occultam, qua solos eos apprehendat, quos elegit.

§.2. Resp. 1. Cum *Deus* testatur, se non velle ullos perire, at velle, omnes respicere, atq; servari, fatemur id pertinere ad voluntatem duntaxat. *Evangelicam*; Ea enim est vox lætissima *Evangelii*, quod *Deus* omnes homines per fidem velit salvos fieri, juxta illud 2. *Tim. I. v. 15. & C. II. v. 4.* At voluntati huic *Evangelicæ* non opponitur occulta voluntas, sed *legalis*, de qua *Levit. XII. v. 5. Rom. X. v. 5. Deutr. XXI. v. 23. Gal. III. v. 13.* Neq; enim voluntas, quam vocat *Calvinus*, *Evangelica*, ideo est *Evangelica*, quod est revelata; Sed quia lætum peccatoribus nuntium continet, ideo est *Evangelica*; Ut occultam adeo illi opponere haud possis, nisi pestilenti depravandi cacoëthe abreptus. 2. Voluntas *Dei*, quæ circa condemnationem impiorum versatur, adeo non est occulta

occulta, ut & apertissimè sit, & plurimis oraculis, S. Spiritu revelatore, prodita & manifestata. Eant adversarii universas per sacras literas, vel saltem à concione *S. Iohannis Baptiste, Matt. III. a. v. 2. 6. 7. seqq.* capebant initium percursuri conciones Christi, & S. Apostolorum scripta; deprehendent, quæ ad eam pertinent, liquidissime ea esse perscripta; Quorum summa est. *qui non credit condemnabitur Marc. XVI. v. 16.* Nihil ergo vefanius ne? an audacius? est, quam eandem voluntatem appellare *OCCULTAM*, Sed hem tibi depravatorem potum inebriatumq; spiritu vertiginis. Occultam eam, quæ circa reprobos versatur, voluntatem appellat. Et tamen ipse, qualis ea sit, absoluta videlicet, & quatenus pateat, novit. *Vid. eum l. 3. Instit. c. 22.* Novit ejus discipulus *Beza* adeo, ut integram concionem, quasi sesqui horæ spatio, de ea recitavit in *Colloq. Mompelgart. Vid. ad Art. de Reprob. Resp. 1 Beza.* Et ut videas incrementa spiritus soporis, isti homines conglomerant, quibus talem voluntatem probent, scripturæ oracula. Si occulta est ea voluntas, quæ potest tot oraculis se suosq; sensus divinos *DEUS* significasse his magistris? Hinc argumentum ducamus licet, per meram *ερέβλωσιν* & cavillationem impiam dicta, ea citari ad eam voluntatem probandam. Putes defunctum satis *Calvinum* depravatione hujus loci; sed falsò! Nam hanc voluntatem *OCCULTAM* opponit voluntati *REVELATÆ* in Evangelio, vultq; *ALIUD Deum. de se suaq; voluntate testari verbis*, nempe *se nolle ullum perire, aliud contra sentire* in corde suo diviso, aliudq; quam verbis prodidit, illi decretum esse, Heu pestilentiam dogmatis Calvinistici! Itanè haud satis habet excoecatisimus, nec minus irreligiosus, cotruptor, homines facere mendaces, nisi etiam Deum nostrum mendacem faciat? Num, quam in homine tantopere oderant, Deo imputare co-dis duplici- tatem, gentiles olim ausuri erant? Sed refutat impium commentum sua ipsius turpitudine. Et supra nos *Sect. 1 th. 1. §. 1. & 2.* liquidò probatum dedimus, hanc voluntatem Dei *sincerissimam esse, & seriam*, 1. eo ipso, quia est divina vo-
C 2 luntas

luntas & testificatio. 2. quia legati de ea affirmantes, S. Spiritu impulsore loquuntur, qui profunditatum Dei reuelator, falsa non reuelat. 3. quia respondet loco *parallelo*, ubi iuramentum affirmationi addidit Deus. 4. quia effectus voluntatis testatur de ejus *sinceritate*, quales sunt 1. δάρισις *spiritualium donorum & virium*. 2. Καθάρσιμος τῶν πάλαι ἀμαρτημάτων i.e. *purgatio pristinorum peccatorum* 3. ἀγορασμός s. *redemptio ante facta*; quæ beneficia ad reprobos iuxta atq; electos extensa esse, excitatione ipsa elucet. Quò facit 4. ipsa μακροθυμία. quâ utitur Deus, ne impiorum respicientiam ira effusa antevertat. Unde promptum est, hæc universa argumento includere & efficere Conclusionem, *voluntatem hanc Dei, volentis omnes servari, neminem contra perire, sincerissimam esse, & talem, qualem verba amanuensium S. Spiritus manifestant. Unde non hominis voces, sed bovis, sed angeli Sathanæ sunt, Deum omnibus promiscue manum porrigere (sed non ideò, ut apprehendat eos & ad se ducat: quem sensum oppositio ostendit, quæ sequitur,) sed eos tantum apprehendere, ut ad se ducat, quos ante conditum mundum elegit: quæ supra Calvinii verba, vel verius venena, fuerunt.*

§ 3 Beza, quem non trepide *Valæus* sequitur, exceptio est, loqui Apostolum de *solis credentibus*; Respondemus a. 1. Socios ejus, inter quos nunc laudamus *Chamierum*, in hac exceptione, non satis fiducia ponere, unde supra trepidantem auscultavimus eundem *Chamierum*, cum diceret; *Nisè forte quis malit locum Petri referri duntaxat ad fideles, & quæ sequuntur.* Est igitur hoc, conscientia, sibi haud constantis, argumentum. Resp. 2. limitationem eam in textu nō apparere. Non ergo licere corruptoribus eam in textum infarcire; sed nec signum vestigiumq; ejus subintelligendæ in eodem comparere.

§. 4. Frustra obtenditur; 1. allocutionem Apostoli τῶν ἀγαπητῶν, h. e. ad *dilectos*, atq; adeò ad *fratres*, sicut laudatur à *Beza* duorum codicum fides, esse *directam v. 8. 2. ἡμᾶς NOS*, id est, *Electos v. 9. discerni à nonnullis, empæctis videlicet de qui*

de quibus v. 3. & seqq. Nam i. ab inclusiva ad Exclufivam, non V. C. Non ergo sequitur, de credentibus loquitur Apostolus; Ergo de SOLIS, Nec 3. sequitur, D. Apostolus alloquitur fideles, non *empēctas*. Ergo alloquendo illos, DE HIS non loquitur. Ergo *signum Quantitatis* duarum universalium propositionum, alterius negantis, affirmantis alterius, loquentium de latitudine eorum, quos Deus servari velit, quos nolit perire, est limitandum ad fideles duntaxat, nempe ut significet *distributionem termini non absolutè*, sed quatenus ea in certa & perexigua classe *fidelium* vel *electorum* spectatur. Qualis hæc est & quam perversa concludendi depravandiq; libido? Non sequitur, D. Apostolus distinctè loquitur de *Empēctis*, eosq; refutat, Non, inquit, tardat Dominus, ut nonnulli existimant; Distinctè item de objecto *μαργοθυμίας* divinæ, sed *longanimis erga nos*, inquit, est. E ab hoc objecto *μαρποθυμίας* excludit segregatq; *empēctas*. Multo minus sequitur: Ergo eos exclusos vult ex numero eorum, quos Deus non vult perire, sed servari. Ratio inficiationis hæc est, quod vi institutæ disputationis D. Apostolus jure se fidelesq; *empēctis* illis opponat, quatenus eos refutat redarguitq; ut seductores simplicium. Non proinde autem se res habet, cum de objecto *μαργοθυμίας* sermo ab Apostolo instituitur. Tū enim tantum abest, ut ille removeat eos, ut eos *principaliter* includat numero eorum, super quos fertur divina *μαργοθυμία*, cum, quod non ita multis interjectis invicte probabitur, impii sint *proprie* objectum *μαργοθυμίας* divinæ. Idcirco D. Apostolus per *ἀνακόινων* i. e. per modum *communicationis rhetoricæ*, SE, atq; fideles, sanctè incontaminateq; viventes, includit cœtui impiorum, & se contaminantium. Neq; momentum habet, vel hilo melius est, quod Chamierius supra cit. tom. 3. l. 7. c. 6. § 5. ait: Vix enim se infidelibus annumerasset Apostolus; Illud enim VIX solvitur per ETIAM: Cum se Apostolus, qui locus supra allatus nobis est, l. Ep. c. IV. v. 3. inclusit numero ex gentilibus olim profanorum hominum. Multo minus sequitur: Ergo segregat eos ex numero eorum, quos Deus non vult perire, sed salvos facere. Multo, inquam, minus sequitur, quia intentio voluntasq; salvandi

hominis nil obsistit, quo minus sit commune, impiis juxta, atq; fidelibus, beneficium: Imò commune huiusmodi beneficium est, non solum ex rei veritate, sed etiam ex hypothesis adversariorum, qui non inviti dabunt, Deum impingas, quas ad fidem traducit, salvare voluisse. Imò *credentes* ne quidem intelligi possunt *immediate*. Cum dicitur, *Deum velle omnes traduci ad resipiscantiam*. Qui enim resipiscere, non traducendi sunt demum ad pœnitentiam, sed conservatione egent Dei, ne excidant fide. Prava aurem hypothesis est, cum depravator confundit *credentes* cum *Electis*; quasi par sit utrorumq; latitudo; toties ea quidem profligata, nihil ut crebrius, & hoc ipso argumento Epistolæ II. Petrinæ, non semel pudefacta *Cap. II. v. 18. 19. 20. 21. 22.*

§. 5. Resp. 3. In textu non solum non dari, ut visum, conditiones *diminuentes* vim *signi quantitatis*: sed contra circumstantias amplificantes vim proprietatemq; ejusdem, quales argumentum nostrum, supra *Sect. 2.* extractum, modo non uno illustrabunt, sic ut nil eo confirmatius fieri, & corroboratius, possit. Igitur 1. urgeo geminationem universalis enunciationis de eodem subjecto, homine, cum apertissimo *distributionis completæ* iudicio & argumento in propositione negante: *Non vult ullum vel ullos perire*; Unde in contraria affirmante parem oportet esse latitudinem, hoc est, æquè *completam* distributionem notari *signo Quantitatis*, id quod prolixius *Sect. I. §. IV.* integra nobis tractatum est.

§. 6. Duco. 2. argumentum ex subjecti *volentis servare homines nolentisq; ullos perire*, relatione ad objectum voluntatis, id est ad ipsos homines. Subjectum *nolens ullos perire, ac omnes servari*, est *ὁ κύριος*, hoc est, Dominus Jesus. Quod ostentum est *Sect. I. §. I.* idq; ex attributione *adventus visibilis in novissimo die* 2. appropriatione *judicii die eodem faciendi* 3. ex expressa determinatione *personæ*: Deinde *Sect. ead. §. II. §. 2.* dominii fundamentum situm esse in propria *redemptione* carissime facta, perinde perspicuum fecimus. Oppositam a dominio relationem esse *servitutem*, sive *obligatum* ad præstandum cultum redemptori, ex se clarum est, & ibidem quoq;

quoq; patuit. Hinc argumentor: *Quam late patet Dominium Jesu Christi in homines, tam late patet ejus voluntas servandi eos ne pereant: Atqui illud in universos homines electos juxta ac reprobos patet, fideles juxta & impios. Ergo eò usq; pertinet & voluntas servandi, ne pereant: Majoris ratio est, quod emptio tantò facta, quæ est ratio fundamentumq; Domini, & voluntas salvandi dividi non possint. Quid enim attinet carissimo redimere, quem nolis eripere ex captivitate? Minorem supra cit *sect. 1. §. 11. §. 2.* stabilivit locus *Ep. 11. Pet. c. 11. v. 1.* Ibi Dominus Jesus appellatur *ὁ δεσπότης* i. e. *Dominus falsorum doctorum*, Deinde horum non pauci sunt ex numero reproborum, juxta *vers. eundem & 3tium & 7mum*, quos *Beza* paulò ante universos inter reprobos recensuit. Ratio autem domini in eosdem in eò collocatur, quod Deus *ἠγόρασεν αὐτοὺς* h. est, *mercatus eos fuerit*. Abnegationis enim ut gravitas & turpitudine eo conspectior esset, adjecit S. Spiritus immensum Domini beneficium, tantò *mercati* nequam & perfidum beneficiarium. Unde hic nascitur prosyllogismus. *Quos per soluto pretio emit sibi Dominus, hic, de cujus voluntate queritur, illi sunt in numero eorum, quos non vult, (voluntate antecedente, de hac enim hic loquimur) voluit ve perire. Nunc ille reprobos quoq; sibi emit tanto pretio. E. reprobi sunt in eorum numero, quos non vult voluitq; perire.**

§. 7. Colligo (3) à subjecto *resipiscencie*. Dicit enim Apostolus *Deū nolle ullū perire: sed omnes in pœnitentiam cōcedere, seu resipiscere*. Unde apparet, eos, quos *perire Deus non vult*, & eos, qui *pœnitentiam agere debent*, ita se respicere, ut quotquot *pœnitentiam agere debent*, eos *Deus nolit perire*. Ea enim ratio est connexionis: *Deus vult ne ullum quidem perire, sed omnes resipiscere*, scil. ut interitum evitent, salutem contra adipiscantur. Hinc arguo: *Quicumq; debent ex intentione Dei resipiscere, illorum ne ullum quidem Deus vult perire. Atqui omnes in universum peccatores debent ex intentione Dei seriā pœnitentiam agere: Ergo omnium in universū peccatorum neminem vult Deus perire: Majoris nexum ita refragabilem modo monstravimus. Nempe resipiscencia ex ordi-*

ordinatione Dei refertur ad consecutionem æternæ beatitudinis. Igitur quia Deus eam seriò vult, necessum est velit ipsam peccatorum æternam salutem. Minorem ipse textus exhibet. Igitur victâ causâ nostra conclusio, quæ thesis est Catholicorum, triumphat. Quod si adversarii negent minorem, manifestâ in revelationem divinam injuriâ, tum contradicentē assumo: Quidâ ex intentione & voluntate, Dei seria non debent resipiscere, & hunc in modû cōcludo:

Quoscunq; Deus non vult voluntate seria resipiscere, illos Deus vult voluntate seria perseverare in impœnitentia. Subsumo. *Quosdam peccatores non vult Deus voluntate seria resipiscere, Ergo quosdam peccatores vult Deus voluntate seria in impœnitentia perseverare.* Conclusio est blasphema in Deum & homines, & expiari non potest ejus impietas, si absq; pœnitentia sis, nisi ultricibus iræ divinæ flammis, iræ inquam, quam Deus *manifestat super omnem impietatem, Rom. C. I v. 18.* quâ videlicet detestatur. Minor est cōtradictis *Minori* syllogismi nostri allati: Major immédiantitur oppositione terminorû, *resipiscere, & perseverare in impœnitentia,* respectu subjecti capaci. Homo enim post lapsum aut est resipiscens, aut perseverans in impœnitentia, non autem esse potest ἄδέτερος, seu neuter. Quod si detestentur adversarii, atq; ô utinam detestentur ex animo, conclusionem, tum *Minoris* hujus contradicentem veram esse oportet fateri. Ea autem erat hæc: *Omnes in universum peccatores vult Deus voluntate seria resipiscere.*

§. 8. Arguo (4) ab objecto *μακροθυμίας* divinæ: *Erga quos Deus μακροθυμία* utitur, illos Deus non vult perire (voluntate scilicet antecedente) *At Deus eâ utitur erga impios peccatores & reprobos quosq;.* Ergo. *Majorem supra tutam fecimus Sect. I th. IV. §. penult* petito argumento 1. à notatione vocis. 2. à vehementia iræ divinæ, quæ cohibetur. Unde 3. colligere necessum est, quia salutis impiorum, & inter eos reproborum, causâ Deus cohibet flammantem iram, ejusdem etiam esse seriam voluntatem traducendi eos ad salutem. *Minorem*
nega-

negarunt supra adversarii, *Walaus & Beza*, sed impudentissime. Certum enim utrinq; est, per $\tau\epsilon\ \epsilon\iota\varsigma\ \eta\mu\acute{\alpha}\varsigma$, erga nos, describi objectum divinæ patientiæ, unde pro *Minori* hunc damus *prosyllogismum* : Illi sunt proprium objectum $\mu\alpha\lambda\epsilon\theta\upsilon\mu\acute{\iota}\alpha\varsigma$ divina, in quos Deus differt iram suam. Hanc autem differt in impios & reprobos; *Vid. Rom. II. v. 4. & 5.* An divitias bonitatis ejus, $\eta\gamma\grave{\alpha}\ \tau\eta\varsigma\ \alpha\iota\upsilon\omicron\chi\eta\varsigma\ \eta\gamma\grave{\alpha}\ \mu\alpha\lambda\epsilon\theta\upsilon\mu\acute{\iota}\alpha\varsigma$ contemnis? &c. Ergo hi sunt proprium objectum illius divinæ $\mu\alpha\lambda\epsilon\theta\upsilon\mu\acute{\iota}\alpha\varsigma$; Reperimus huc exemplum *Noachicorum* auditorum ex *Sect. & 8. cit. §. ult.* Secus autem se rem habere cum credentibus, possis vel ex hypothesi adversariorum concludere, cum, de sententia eorum, credentes excidere gratia Dei non possint. Certe inter provocationem iræ divinæ exitium allaturæ, & inter peccata mortifera necessaria est ex parte ejus, qui credens erat, relatio. Igitur his ita se habentibus, apparet clarissime, $\mu\alpha\lambda\epsilon\theta\upsilon\mu\acute{\iota}\alpha\varsigma$ erga impios & reprobos provenire ex voluntate Dei, nolentis eos perire. Nec obstat, quod mentione primæ personæ, *Erga nos*, S. Apostolus se, credentesq; conjungit cum cæteris Deum ad iram provocantibus. Id enim fit per $\alpha\upsilon\alpha\lambda\omicron\delta\iota\upsilon\omega\sigma\tau\iota$, sicut docuimus *Sect. & 8. cit. §. ult.* Et in primis *Sect. II. §. 4.* Quid enim? nunquid differenda erat ira Dei in S. Apostolum, ne is periret? Atqui ille se cum illis conjungit.

§. 9. Nequeas autem satis mirari cœcitatem adversariorum, dicentium, sicut verba eorum *Sect. II §. 2* protulimus, Deum patientia hac uti, nempe, *donec electorum numerus compleatur*: quo fine laudantur *l. Matt. 24. 31. Marc. 13. 27. &*, ut ii ajunt, apertior, *l. Apoc. 6. 11. Walaus* adjecit loca duo, *Matth. 24. v. 26. Marc. 16. v. 20.* Non, inquam, possis satis mirari. Nam 1. argumentum horum locorum omnium, præter unum Apocalypticum, est futura per terram ingens extremaq; necessitas; Cujus respectu Deum *abbreviatum* esse dies propter *electos*, eosq; hinc inde collecturum ad se in cœlos. At isti egregii interpretes hinc arcessunt argumentum pro dilatione adventus Dominici. Nempe supra adipem impinguatam cor hornum hominum est, (sicut habet *Pl. CXIX. v. 70.*) ut nigrum esse album, frigidum esse calidum, amarum esse dulce, curvum esse rectum, probare ausint. 2. loco *Apoc. VI. v. 11.* qui apertior *Bezæ* visus est, & ipso haud continetur aliud, nisi *B. Martyres petere à Deo sumendam vindictam ab interfectoribus*; juberi autem, quiescant, donec eorum fratres, occidendi & ipsi, defunctorum numero accesserint. Estne a. expectare, donec fideles martyri-

D

tyri-



tyrium expleant, præstolarid, onec resipiscant? ne pereant? Cæterū pro nobis id ex eo loco militat, quod Deus, differendo ultionem, spatium interea resipiscendi dat persecutoribus. Sed 3. esto; Deus etiam ideò exspectet, *donec domus sua compleatur, Luc. XIV, 23.* nunquid idcirco verum non erit, quod hîc dicitur, Deum differendo invitare seriò ad pœnitentiam? quod & aperte *Rom. II. v. 4.* paulò ante continebatur. Numquid 4. eadem sunt, *patientem esse, ne ullus pereat: Et patientem esse, donec numerus Electorum,* quorum ullum impossibile est perire, fiat completus? Quocirca sicut frigidissimæ sunt hæ exceptiones: ita hæ atq; hujusmodi argumenta, quæ attulimus ex conditionibus amplificantibus sensum & vim *signi Quantitatis, Θεου Catholicorum* invicte demonstrant.

§. 10. Absolvimus igitur *Calvinum, Bezam, & Waleum.* Succedat igitur nunc *Chamierus,* cujus tota corruptela, quam supra produximus, consistit in distinctione voluntatis divinæ, quam dicit esse vel *εὐδοκίαν,* vel *εὐαγῆσιαν.* Negat *Minorem* nostram verā esse de *εὐδοκίᾳ,* veram a de *εὐαγῆσιᾳ,* *quæ pro objecto habet,* ut ait, *officium hominis; sed quod tamen Deus, ut reapse præstari possit, nolit efficere.* Resp. a. 1. adversarium fumos vendere, & revera quærere latibulum adversus lucē clarissimam, hujus loci; Quis enim unquam, extra Scholam Calvinisticam, hoc distinctionis, atq; hoc sensu, vel fando audivit? Involvere se voluit corruptor hoc velo distinctionis. Resp. 2. Quantūcunq; ille acutus sibi videatur, tamen revera eum desipere. Nam voluntatē DEI distinguit in *εὐδοκίαν* & *εὐαγῆσιαν,* tanquā in diversas rationes, modosq; diversos, volendi. Atqui nil stultius fieri poterat, cum *εὐαγῆσιᾳ* sit *παῖθος,* seu *affectio objecti, in quod fertur voluntas.* Quod quando congruens voluntati, & amabile est, dicitur *εὐάγῆσιον,* h. e. *beneplacens.* Sicut ergò objectum per *εὐαγῆσιαν* habet *transcendentalem* relationem ad voluntatem: Ita voluntas vicissim per *εὐδοκίαν* refertur ad *objectum amabile.* Et sicut *εὐαγῆσιᾳ* est, ut sic dicam, *beneplacencia* objecti, hoc est, *amabilitas:* Ita *εὐδοκίᾳ* est *amor, oblectatio, & pro pensio,* qua voluntas fertur in objectum *εὐάγῆσιον,* idq; prosequitur. Qualis oblectatio, quam Sacræ literæ Græcè *εὐδοκίαν* appellant, Ebraicè significatur voce *יֵצֵר,* quod Ebraicè doctis notissimū est. I, si lubet, saltem universa per loca N. T. & deprehendes, perpetuò *εὐαγῆσιαν* *passionem* esse, seu *habitudinem objecti ad voluntatem,* nequaquā autē uspiam esse *passionem voluntatis;* Sicut vicissim *εὐδοκίαν* so-

lius

lius esse voluntatis, relatæ videlicet ad *objectum* εὐάρεστον. Ita Job. II. v. 29. Filius facit τὰ ἀρεστὰ τῷ πατρί. Vicissim pater εὐδοκεῖ in filio faciente τὰ ἀρεστὰ Matth. III. 17. Et hac nostra II. Petrina c. I. v. 17. Sic Ebr. c. XIII. v. 21. τὸ εὐάρεστον refertur ad Deum ejusq; voluntatem, ut faciat illud; Verba sic habent: ποιῶν ἐν ὑμῖν τὸ εὐάρεστον. His igitur se ita habentibus, sicut profectò non aliter habent, nos apparatu & instrumentis, quibus pugnare in nos pugnator imbellis voluit, creptis, in ipsam multò efficacius pugnamus: Nempe is confessus non ingratis fuit, *Deum velle pœnitentiam & salutem omnium hominum, etiam reproborum*, id verum esse de εὐαγγελία Dei, hoc est, si rectè loquaris, esse *objectum* εὐάρεστον τῷ Θεῷ, sicut reverà est, & esse, verbis æquipollētibus dicitur I. Tim. II. v. 3. Hinc ex disputatis argumētis: *Quicquid est εὐάρεστον Deo, illud vult Deus voluntate εὐδοκίας. Atqui neminem perire, sed universos respicere, est εὐάρεστον Deo, E. Deus voluntate εὐδοκίας, (vel rectius, εὐδοκία voluntatis) suæ neminem perire, sed omnes pœnitentiam agere vult.* Atq; hæc revera est illa, ex argumento cantilenæ angelicæ, εὐδοκία ἐν τοῖς ἀνθρώποις, fundata in Christo (salvatore nato & passo. Luc. II. v. 14. Minor ex rei veritate, & ex concessione adversarii processit. Majorem recens disputata tam fecere claram, quam clari solis sunt radii, cum sudum est. Cæterum ea εὐδοκία, sicut est antecedentis voluntatis: Ita absoluta nō est, ut, ad quodcunq; objectum ea referatur, id absolute fieri debeat, quod innuit depravator verbis supra citatis. Id enim, cum neq; ipse probat, tum vero contrarium à nostris Theologis passim demonstratur. Resp. 3. *Velle Deum aliquid fieri ab hominibus ex suo officio juxta præcepta Dei. & velle id fieri interno beneplacito,* non sunt opposita, sed amice conspirant & indivisè sunt copulata; Sacræ enim literæ voluntatem Dei divisam à consilio cordis divini & beneplacito ignorant. Et supra contra duplici tatem cordis voluntatisq; divinæ Sect. III. §. 1. nobis disputatum est. Nempe huc evadunt deniq; isthæc, ut ex voluntate signi, opposita beneplacito divino, quod ipse depravator fatetur, effugium quærat. Simile a, dissimile est, cum exempli loco producit voluntas Dei, qui velit filiū longos annos præcari patri, quos ipse tamen dare illi nolit. Enim vero exemplum loquitur de diversis objectis divinæ voluntatis, ad quæ sanè ea referri potest diversis actibus, altero affirmante, altero negante. Aliud objectum est officium filii intercedendi pro patre: Aliud iterum objectum est longævitas patris; quanquam intercessionem filii oporteat ad eam semper referri. Igitur quia objectum alterum mutari potest, altero non mutato, idcirco voluntas pro diversitate obiecti, diverso actu referri potest ad alterutrum: V. G. Deus voluntate consequente vult abrumpi vitam parentis ob ejus impietatem. Idcirco tamen non mutatur debitum filii & officium pro patre intercedendi. Adde, quod intercessio fieri debeat, non absolute, sed secundum voluntatem Dei. Hoc a nostro argumento contra fit, ut voluntas Dei referatur ad unum idemq; objectum, h. e. ad unam salutem hominis; Quam

Quam quando dicitur *Deus velle*, velut objectum *εὐαγγελίου*, si dicas, *Deū eandem salutem ejusdem hominis actu diverso*, eoq; ad idē illud, & non mutatū objectum relato, nolle, tum nullo modo effugias, quin aut *contrarias voluntates in Deo*, non sine implicatione contradictionis, ponas: h. e. dicas, & facias, *Deum unum idemq; objectum (hominis lapsi salutem) & sub iisdem signis conceptibusq; mentis divinæ consideratum, & prosequi, & aversari; & velle produci, & nolle produci*; Aut certè, quia impossibile est, *idem simule esse, & non esse*, alterum actū, qui est velle, tollas, à Deoq; removeas; adeoq; non effugias, quin, cum dicit Deus, *se velle omnes salvos fieri, & ne ullum quidem perire*, non sine blasphemia vociferere, eam, quæ à Deo est, voluntatis divinæ significationem, & vel juramento (*l. sup. cit.*) confirmatam, esse, (quod horret animus, refugitq; recitare) *hypocriticam, mendacem, & illusoriam* (per impios depravatores.)

§. 11. Ante autē, quam hinc ab eā, placet hanc distinctionem voluntatis per *εὐαγγελίαν*, & *εὐδοκίαν* (cū qua plane consentit & Rivetus *Carb. Orth. tr. 4. q. 9.* dicens; *Deum velle reprobatorum salutē, voluntate finis, ut rem bonā; sed sine inclinatione ad eandem efficiendam*) duobus argumentis crucifigere; Quorū prius tale est:

Voluntas, qua Deus vult omnium hominum salutem, ut rem bonam, sed sine intentione efficiendi eam, non est fundata in Christo. Voluntas, qua Deus in sacris literis dicit se velle omnes homines salvos fieri, & nullum eorum perire, est fundata in Christo.

E. voluntas, qua Deus in sacris literis (& loco nostro Petrino) dicit, se velle omnes homines salvos fieri, at nullum eorum perire, non est voluntas, quā vult Deus omnium hominum salutem, ut rem per se bonam, sed sine intentione efficiendi eā. Majorē probo, quia eam voluntatem Deus habiturus erat, et si Christus non venisset in mundum: nempe ut salutem Adami lapsi & posterorum vellet, *ut rem per se bonam, at sine intentione communicandi eandem salutem & efficiendi.*

§. 12. Ut ad secundum argumentū properem, dico, si hæc distinctio Chamieri & Riveti bona est, tum (per eos) Deus vult omnes Diabolos salvos fieri, & nullum eorum perire. Quia & ipsorū falsus absolute considerata, est per se res bona æque, ac hominū salus. Quod si falsum non modo, sed impiū est atq; profanū, dicere, *Deū velle omnes Diabolos salvos fieri, atq; ne ullū perire*: tum impia erit, & ad hunc nostrū locū, & argumentum ex eo exstructum, adversariorum distinctio, inter voluntatem, quā vel est *εὐδοκία*, vel quā est *εὐαγγελία*, h. e. res per se bona, sine intentione Dei, eam efficiendi in homine, vel eam communicandi. Formo enim alterum argumentū: Quali voluntate Deus vult omnes homines salvos fieri, & nullum eorum perire: tali voluntate non vult Diabolos in inferno salvos fieri, & nullum eorum perire. At Deus Diabolos vult salvos fieri, & nullum eorum perire, tali quidem voluntate, quā vult salutem, ut rem per se bonam, at sine intentione communicandi eam, vel efficiendi in ipsis Ergo tali voluntate, quā vult salutem, ut rem per se bonam, sed sine intentione eam efficiendi, non vult omnes homines salvos fieri, at nullum eorū perire. Majorē non negabunt; Minor etiā ex dictis clarissima est; Unde concludimus invictè, aut dicendum esse adversariis, Deum velle Diabolos salvos fieri, impia & inaudita propositione: aut vel ingratis eos confiteri oportere, distinctionem ad hanc nostram propositionem datā falsam esse. Atq; sic profligatis adversariorū exceptionibus, triumphat Demonstratio nostra, quod Deus omnes in universum homines, etiam reprobos, voluntate antecedente velit salvos fieri.

Umg. VI 19

ULB Halle

3

003 144 232



TA-OL
SR.124: AMN.00

VD 17 E





I. N. J.
ΑΠΟΔΕΙΞΙΣ,
Quod Deus universos homines
serio velit salvos fieri:

Formata,

Ex

II, Petr. III. v. 9.

Et Sancto Dei Spiritu adjuvante,

Et

PRÆSIDE

VIRO

REVERENDO ADM. AMPLISS. ET EXCELLENTISS.

Dn. ABRAMO CALOVIO,

S.S. Theol. D. ejusdemq; Profess. Publ. & Celeberrimo,
Consistorii Ecclesiastici Assessore gravissimo,
Electoralium Alumnorum Ephoro vigilantissimo,
ad disputandum publice proposita

M. GEORGIO BELOVIO, Calegiensi, designato & vocato Pastore in Hohendorf/

& Lobnitz.

ad D. XXVII. NOV.

WITTENBERGÆ

Typis Johannis Röhneri Acad. Typogr.

ANNO M DC LI.

